



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones à Clemente X. & Innocentio XI. editas

Luxemburgi, 1739

CXV. Debitores Banci S. Spiritus de Urbe tenentur satisfacere Camerali
obligatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74708)

Quomodo uitodiendi a quibus accipi, & legi possint dd. libri.

aliam pœnarum, etiam irregularitatis, infamiz, aut inhabilitatis incurfu possint, & valeant, ita tamen, ut libri, scripta, & opera prafata, quæ de religione, seu fide, vel contra Religionem, seu Fidem orthodoxam trahant, seu tractabunt, secreto, & sine aliorum scandalo, aut periculo retineantur, nec a studiosis accipi possint nisi de manibus Bibliothecarii, vel Custodum prafatorum nunc, & pro tempore existentium, qui illos, seu illa legendos, seu legenda nemini præbere possint, nisi sibi prius constiterit, quod illos, seu illa petentes, opportunam super eorum lectione licentiam sibi canonicè concedi obtinuerint, auctoritate prædicta tenore præsentium concedimus, & indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Clausula.

§. 1. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis, & edendis specialibus, vel Generalibus Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, necnon prohibitionibus desuper factis, & in posterum quomodolibet faciendis: Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores præsentibus huiusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse, ac latissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Aprilis MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CXV.

Statuitur, ut Debitores Banci Archihospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe teneantur ei satisfacere, vinculo obligationis Cameralis.

Idem statutum fuit pro Monte Pietatis a Clem. X. Const. ed. 1670., Octob. 3., P. 1., & ab Alexandro VIII. edita fuit Constitut. 1690. Aug. 5., P. 1. circa onera solvi solita Hospitali S. Joan. Hierosolymitani.

Dat. 16. Maji 1683. An. 7.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Æquitatis, & Iustitiæ ratio exigit, & plurimæ, quæ ex mensa nummularia, seu Bancho Archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe in publicum assidue proveniunt, utilitatis, suadent, ut illius indemnitati, quantum cum Dño possimus, consulere studeamus.

Causa Statuti.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Ministri dicti Banchi, quod ex dispositione quorundam fel. rec. Pauli PP. V. prædecessoris nostri literarum in simili formæ Brevis expeditarum bona dicti Archihospitalis ad favorem illorum, qui pecunias in Bancho prædicto deponunt pro restitutione Depositorum efficaciter obligata sunt, perinde ac si cum unoquoque illorum Cameralis obligatio intercessisset. Cum autem sicut eadem expositio subungebat, interdum eveniat, ut dicti Banchi Debitores remaneant aliqui privati, ac etiam nonnulla loca pia; æquum vero videatur illos, & illa ad satisfaciendum eidem Bancho pari Cameralis obligationis vinculo adstringi: nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut Archihospitali, & Bancho prædictis in præmissis

opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existant ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes, & singulos memorati Banchi ex quacumque causa Debitores præsentibus, & futuros, cuiuscumque status, gradus, Ordinis, conditionis, præminentiz, & dignitatis, ac etiam si Ecclesiæ, Monasteria, Conventus, Collegia, Hospitalia, Archihospitalia, Confraternitates, Archiconfraternitates, & alia loca pia quæcumque, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digna existant, ad satisfaciendum eidem Bancho de eorum debitis respective efficaciter obligari, ac obligatos, & obligata existere, & fore, in omnibus, & per omnia perinde ac si ab eorum singulis Cameralis obligatio ad favorem ipsius Banchi facta fuisset, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Preces Ministrorum.

Statutum prædictum etiam pro locis Pias.

Clausula.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Bancho, & Archihospitali prædictis, illorumque Ministris, & Officialibus, seu aliis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici, & Curie Cameræ Apostolicæ Generales Auditores, necnon Vicarium, Gubernatorem, & Senatorem dictæ Urbis, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Cameræ, Præsidentes, Clericos, Thesaurarium Generalem, aliosque Officiales, & Ministros nunc, & pro tempore quodcumque existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Urbis, aliisque quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, stilis, usibus, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud, habeatur; quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Maji MDCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Con-